



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum  
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

**Laymann, Paul**

**Dilingae, 1698**

Capitulum IV. Licet.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

## Licet.

## PARAPHRASIS.

Pater liberos impuberes defunctos, qui in ea aetate sepulturam eligere non poterunt, sepelire potest in Ecclesia, in qua voluerit, si consuetudo regionis permittat; sin autem consuetudo id non ferat, cum majoribus suis, vel in parochiali Ecclesia sepeliendi sunt.

## SUMMARIUM.

1. Spectato jure communi non potest pater filio impuberi eligere sepulturam, quamvis possit ei heredem instituere, nisi consuetudo loci aliud habeat.
2. Si pubes tamen sit filiusfamilias, liberè sibi eligit sepulturam, etiam sine patris consensu, quamvis sine hoc pro anima etiam sua disponere non possit, nisi de peculio castrensi, aut quasi castrensi.

Notandum. Spectato communi jure impuberes in sepulchro Majorum, vel in parochiali Ecclesia debent sepeliri, & non, ubi pater voluerit.


Quæres. Cur spectato communi jure pater filio heredem instituere, sive pro filio impubere testamentum facere possit, *L. 1. ff. de vulgari substitutione c. 1. de testamentis in 6.* non item sepulturam eidem eligere. Respondetur cum *Dominico hic*, quia jus sepulture spirituale est, jus autem testamenti temporale; majorem autem pater erga filium potestatem in temporalibus habet, quam in spiritualibus, sicuti dicitur *§. sequente*. Adde, quod per consuetudinem introduci possit, ut etiam mater, imò & propinqui filio impuberi eligant sepulturam, secundum *Dominicum & Francum hic*.

Notandum secundum. Filiusfamilias, si pubes sit, absque patris consensu liberè sibi eligit sepulturam; per ultimam tamen voluntatem disponere, aut relinquere etiam

2. Notandum secundum. Si aliquis alibi domicilium habens in alio loco ad tempus moretur negotij causâ, tunc propter necessitatem, quia ad suam parochiam commodè transferri non potest, in parochia ejus loci sepeliri potest: quod maxime verum est in studiosis, mechanicis, & famulis conductitijs, qui ob longioris habitationis propositum quasi domicilium habent, eaque ratione parochiam acquirunt, licet domicilium, aut parochiam suæ civitatis, aut ubi patres ipsorum habitant, non amittant. Quâ de re *Innoc. in c. omnis. n. 6. de penitentis. Abb. in c. 1. n. 4. c. in nostra. n. 11. extra hoc tit.*

3. Notandum tertium. Mulier non tantum vivente marito, sed etiam post mortem ejus retinet domicilium, & honorem mariti. Ita etiam habetur in *c. ex parte n.* ubi id docui de foro competente, & in *L. 3. C. de privilegijs scholarum lib. 12.* ubi *Gl. ait*, quod vidua fruatur privilegijs mariti. Excipe, nisi ad aliud matrimonium accesserit; tunc enim consequitur honorem, & domicilium posterioris mariti, argumento hujus textûs. Multoque magis si vidua impudicè vivat, perdit privilegia & honorem mariti *L. his solis 7. C. de revocandis donationibus.* & videri potest *Abb. in c. uxoratus n. 2. de conversione conjugatorum.*

4. Notandum quartum. Mulier non in sepulchro Majorum, sed mariti sepeliri debet, si non electâ sepulturâ decessit. Ratio dari debet, quia major est conjunctio uxoris cum marito, quam cum proprijs parentibus, juxta illud *Gen. 2.* relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Adde cum *Franco*, si maritus ibi sepulturam deputarit, & uxor præmorta fuerit, eam in deputato sepulchro esse sepeliendam.





pro anima sua non potest, sine patris assensu, præterquam si castrense, aut quasi castrense peculium habet. Neque enim videbatur conveniens, ut juri ac potestati patriæ à SS. Canonibus præjudicium aliquod afferatur (vide, quæ dixi lib. 3. tra. 5. c. 3. n. 2.) & quod patria potestas non ita se extendat ad jura spiritualia, qualis est electio sepulturæ, prout habetur in Capitulo ult. de judicijs in 6. & jam dictum est.

### CAPITULUM VLTIMUM. Religiosi.

#### PARAPHRASIS.

Cùm Religiosi velle, & nolle non habeant, sepulturam sibi eligere non possunt, sed in monasterijs suis sepeliri debent, nisi adeò remoti sint, ut eò commodè non possint portari, tunc jus sepulturæ eligere ipsis competit.

#### SUMMARIUM.

1. Religiosus absque Prælati consensu sepulturam sibi eligere non potest.

2. Nisi distantia, & incommoditas hoc requiratur.

NOTandum primum. Tamen si uxor ab eo ligere possit, non tamen Religiosus absque Prælati consensu. Rationem dicitur dat Gl. hic. quia Religiosus simpliciter, & omnimodè subditus est Prælato, ab eoque dependens in omnibus, (saltem externis actionibus, & dispositionibus; at vetus non est absolutè, & omnimodè subditus marito, ab eoque dependens, sed tantum, quatenus Lex matrimonialis ipsam cum marito copulat, eidemque subijcit: itaque cessante ea Lege disponere potest uxor arbitrato suo. Vide, quæ dixi lib. 4. tit. 4. 7. assert. 2. & 6.

Notandum secundum. Ratione distantie, & incommoditatis quædam permittuntur, quæ alioquin non permitterentur. Ita Gl. hic. V. commodè, & sumitur in c. 3. supra. hoc lib.

& tit.

\*\*

## TITULUS XXIX.

### DE PAROCHIIS, ET ALIENIS PAROCHIANIS

**I**us sepeliendi communi jure ad parochias pertinet; eâ occasione, cum post ultimas voluntates de sepulturis, & jure sepeliendi dictum fuerit, id eò generatim de parochijs, earumque juribus subjungitur

#### CAPITULUM I.

### Si Episcopus.

#### PARAPHRASIS.

Episcopus cum magna Diocæsanorum parte incidit in hæresin Donati, & idcirco alius susceptus: postea Episcopus ille ad Ca-

tholicam redijt unitatem. Hoc in illis duo Episcopi isti parochias, in quibus aliquo tempore Catholici, & Donatiani fuerunt, dividebant ita, ut alia ad unum, & alia ad alterum loca pertinerent, & ille Episcopus partitionem hæc faciat, qui est antiquior, alter vero eligat. Quod si tantum unus locus, & una parochia sit, pertineat ad illum, in quem plebs consenterit. Quod si eam consentiant, & Catholici antiqui, & Donatiani velint Episcopum, & qui recens hæresin converterit, suam; voluntas plurimum præferatur voluntati pauciorum: si partes æquales sint, attendatur, uter diutius